



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Aduersùs Magdeburgenses Centuriatores pro Canonibus Apostolorum, & Epistolis Decretalibus Pontificum Apostolicorum, Libri Quinq[ue]

Torres, Francisco de

Coloniae, 1573

VD16 T 1629

Cap. XVI. De Constitutionibus ecclesiasticis in vniuersum: & quomodò eas haeretici, ad legem seruitutis pertinere falsò credant, & de lege libertatis, quid sit secundùm doctrinam scripturae sanctae, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-29685

ne, sed alios à dæmonibus liberare. Si in vobis Magd. fides ista esset, quam hîc Clemens dicit, quæ vitia perfectè crederet futurum Dei iudicium, non sic homines manifestis mēdacijs deciperetis. Sed hoc non creditis, nisi fide infirma & mortua, quæ caret energia charitatis. Vndè fit, vt omnia cæco odio acti, ad calumniam rapiatis, nihil veriti, nè postea erubescēdum sit in mendacio depræhensis. Postquam ad hunc locum de fugatis dæmonibus meritis Apostolorū, responsum erat, contuli has epistolas Romæ cum vetustissimo exemplari bibliothecæ Vaticanæ, in quo sic scriptum reperi, Eorū meritis trinæ beatitudinis. Etsi enim ex antecedentibus & consequentibus, vt docui, satis intelligi potest, merita Apostolorum, quibus dæmones fugabantur, merita fidei, quæ in Apostolis erat, Clementem intellexisse: tamen cum ita, vt dixi, scriptum in antiquis reperiamus, non est amplius in hoc loco laborandum, siquidem expressa sint merita fidei Trinitatis, quibus dæmones fugabantur. non enim meritum proprium Apostolorū, sed meritum fidei Apostolorum in Iesum & in patrem & in spiritum sanctum, dæmonia ex corporibus obsessis expellebat. Sed respōdeamus iam ad alia, quæ in accusatione Magdeburgen. sequuntur.

Locus epistolæ Clementis de vetusto codice emendatus.

De Constitutionibus ecclesiasticis, in vniuersum: & quomodo eas hæretici ad legem seruitutis pertinere falsò credant, & de lege libertatis, quid sit secundum doctrinam scripturæ sanctæ, & quid lex seruitutis, & quomodo hæc Luterus ignorauit. Cap. 16.

SEXTO, inquit, sana etiam doctrina de libertate Christiana, multis modis deprauatur. Variæ enim traditiones humanæ coaceruatur, quibus conscientijs laquei ponuntur, & opinio cultus & meriti affingitur, cuiusmodi sunt de confessione auriculari. Clementis: de reliquijs fragmentorū post cœnam Domini, de sacris vasis, de palla ac velo, & alijs, vbi transgressoribus pœna anathematis etiam à Petro statuta dicitur Clementis 2. de vitanda menstruata, & de purificatione Clement. 4. & quæ sequuntur, quæ suis locis recitabimus. Hæc omnia à sanctis Apostolis tradita, quæ in sanctis scripturis non expressè legunt, traditiones humanas vocant isti: nullumq; exemplum nobis relictum esse volunt ex eorū numero, de quibus Apostolus Paulus ad Thessal. scripsit: Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram: neq; volūt, vt illa Corinthiorū laus nobiscum communicetur, cum ait: Laudo vos, quod sicut tradidi vobis, traditiones meas tenetis: neq; ea, quæ in ecclesia Corinthiorū disposuit, sicut promiserat, cum ad eos reuerius est, ad vllam aliam ecclesiam catholicorū peruenisse volūt: siquidem quascunq; in ecclesijs nostris dispositiones per manus ab antiquis patribus acceptas, & summa religione & cultu ab ipsis Apostolorū temporibus seruatas retinemus, omnia ad humanas traditiones referunt, hisq; tradūt doctrinā de libertate Christiana deprauari: de q; prius differā aduersus istos, postea singulatim de ijs, quæ

Pro traditionibus scriptura.

quæ notârunt ad hunc locum pertinentia. Illud tamen priùs hîc dicam, videri mihi Magdeburgenses, & reliquos magistros Luteranorum, similes esse illius Iudæ Galilæi seditiosi, cui erat, vt Iosephus lib. 18. antiquitatum Iudaicarum cap. 2. scribit, immutabilis amor libertatis, ita vt profiteretur, quæuis potius tormenta subeunda esse, quàm vllum hominem appellandum dominum: cui consequens erat, vt nullis hominum legibus, aut constitutionibus parendum esse traderet, ac fortassè huius hæresis illa erat, de qua beatus Petrus in epistola sua secûda, Dominatum (inquit) contemnunt, audaces, sibi placentes, & quæ sequuntur. Sed excutiamus quod in primis quasi huc pertinens, ex epistola beati Pauli ad suam perditionem isti deprauant: Precio (inquit Apostolus) empti estis, nolite fieri serui hominû. Docuit Apostolus, omnes in Christo tum liberos, tum seruos, æquales esse: qua libertate, sicut idem ad Galatas scripsit, liberauit nos Christus: Itaque & seruos, liberos esse Christi, & liberos, seruos eiusdem, & vtrosque conseruos precio redemptoris nostri emptos: quamobrèm cauendum esse, nè propter seruitutem humanam non simus serui Christi, in quo admonuit, quod idem ad Ephes. scripsit, oportere inuicem subiectos esse in timore Christi. Sed quia illud, Precio empti estis: nolite fieri serui hominum, ex eorum numero est, quæ beatus Petrus dixit difficilia esse intellectu in epistola Pauli, quæ indocti (inquit) & instabiles ad suam perditionem deprauant: erant enim, qui malè illud interpretantes, existimarent non esse parèdum Principibus Gentilibus, ex quo fiebat, vt euangelium vituperaretur, quasi doceret, non debere esse subditos Christianos dominis non Christianis. idcirco beatus Petrus, Subiecti, inquit, estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei, vt obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. deindè subiungit: Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei. Interpretatus est, vt mihi quidem videtur, quod Paulus dixit: Precio empti estis: nolite fieri serui hominum. perindè enim hoc esse puto, ac si diceret: Subiecti estote ijs, qui vobis præsunt, ita vt liberi sitis à peccato, qua libertate Christus nos liberauit. quod est, subiectos esse & seruire in Domino. Cauete autè, nè prætextu libertatis Christianæ, sanctiones ac leges humanæ potestatis detrecteris. Itaque cum Paulus vetat fieri seruos hominû, non vetat fieri seruos hominum propter Deum, & placere illis in bonum ad ædificationem, vt idem Apostolus ad Roman. scripsit, facientes voluntatem eorum: hoc enim est, quasi liberos esse: sed vetuit fieri seruos hominum ad peccatum, & in contumeliam redemptoris nostri. Qui ergò obseruatione eorû, quæ religiosè in ecclesia ordinata sunt, doctrinam de Christiana libertate deprauari tradunt, hi potestatis obedientiam negant, quasi velamen habentes malitiæ libertatem, vt beatus Petrus de similibus dixit, id est, falsam speciem libertatis Christianæ,

Magd. & ceteri Lute. si miles Iuda Galilæi.

2. Pet. 2.

Contra traditiones argum. excutuntur.

1. Cor. 7. Gal. 3.

Ephes. 5.

1. Cor. 7.

2. Pet. 3.

1. Pet. 2.

1. Cor. 7.

Gal. 4.

Rom. 15.

2. Pet. 2.

In constitutis omnibus ecclesiasticis nihil

ftiana, licentiæ suæ malitiôsè prætextentes. quid enim peccati exprobrare, aut obijcere possunt isti in ijs, quæ à præpositis ecclesiarum, sanctis pontificibus, & concilijs constituta & præcepta sunt ad reuerentiã, religionem, decorum, & ordinem in diuinis rebus pertinētia, quod propter peccatum cum libertate Christiana conuenire non possit? Si Magdeburgenses intelligerent, quæ sit lex libertatis, quam scriptura sancta dicit, & in quo sita sit libertas, qua Christus nos liberauit, & quæ rursus seruitus illa legis, qua liberati sumus, nunquàm ista dicerent, quæ nunc dicunt. Explicemus ergo nos hoc secundum scripturas sanctas, doceamusq; non magis sanam doctrinam de Christiana libertate constitutionibus ecclesiasticis deprauari, quàm decalogo deprauetur. Cùm igitur euangelium eadem alioqui prohibeat, quæ lex Mosaiici decalogi: hoc tamē præstat euangelium, quod lex irã operatur, occidens statim transgressores sine vlla misericordia, & neminē iustificans, qui ex lege sit, sicut Apostolus docet, id est, qui faciat opera legis timore carnali supplicij legis: hi enim sunt & dicuntur ab Apostolo esse ex operibus legis: euāgelium verò non occidit peccatores, sed parcat, iudiciū futuro iudicio reseruans: iustificatq; eos qui ex fide sunt: id est, qui non secundum legem seruitutis ex timore carnali, sed ex charitate in DEVM faciunt opera legis. Hoc enim est esse ex fide, sicut idem Apostolus loquitur. qui enim perfectè & vt oportet credit, idem etiã diligit: & qui diligit, sermones eius, quæ diligit, spontè facit. vnde lex nō est, vt Apostolus ait, posita iustis, quia scilicet fidem habent cum dilectione, ex qua fide viuūt, & operantur per charitatem opera illa legis grauiora, quæ euangelium dicit, non autem operantur quasi ex lege, id est, ex timore supplicij mortis, sicut scriptū est: Irritam quis faciens legē Moisis, sub duobus aut tribus testibus, sine misericordia, moritur: iustis (inquam) nō est posita lex seruitutis. Vt enim ait Clemens Romanus in lib. 6. de constitutionibus apostolicis, loquens de lege libertatis: Voluntatem hominis rursus liberam reliquit Dñs nō præfenti, eademq; breui morte mulctans, vt sub lege, sed iudicium in alterū seculum reijciens.

Haftenus Clemens. Hoc autem magis adhuc idem Apostolus paulò pōst declarat. cùm enim dixisset, Et si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundum euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi, interposuissetq; ea, quæ proximè sequuntur, ad hanc dispensationem sibi creditam pertinentia, rursus more suo redit ad continuandum propositū, subiungens: Superabundauit autem gratia Dñi nostri Iesu Christi cum fide & dilectione. vt perindè sit, quasi diceret, sublata parenthesi, quæ obscuritatem periodo adfert, Scientes hoc, quia lex non est posita iusto, sed iniustis & non subditis: superabundauit autem gratia Domini nostri Iesu Christi cum fide & dilectione. in quo quidem docet differentiam legis & euangelij, siue præstantiam potiùs euangelij supra legem, in eo scilicet, quod com-

Rom. 4.

Heb. 10.

Galat. 3.

1. Tim. 1.

Matt. 23.

Heb. 10.

De lege liber-
tatis in cōsti-
tutionibus
apostol. lib. 6.

1. Tim. 1.

In quo præstet
euangeliū legi

*gi. quantum ad
decalogum,
alioque utriusque
communem.*

logi Mosaiici iubebat, & vetabat, vita & morte propositis: quæ ratio iubendi & vetandi, bona erat & utilis ijs, qui terrore & supplicio præfenti indigebant: nunc verò, inquit, superabundavit gratia Dni nostri Iesu Christi cum fide & dilectione. eadem enim iubet, & eorum contraria vetat euangeliū, sed non operans irā, & statim occidens, vt lex illa seruitutis antiqua: immò, vt Clemens ait, reiiciens iudicium mortis in alterum seculum, & hęc gratiam tribuens operanti secundum legē libertatis, siue secundum legem gratiæ, id est, operanti ex fide ac dilectione. Hęc est, vt hoc obiter ob-

*Quam iniusti
superabundantiam præ
qua Dominus
requirat.*

*Quod in epist.
ad Tim. de le-
ge seruitutis
scriptū erat,
ad legē liber-
tatis Luternus
reculis.*

*Plato quid ex
naturali lu-
mine percipit
aut didicerit.*

seruetur, illa, quam Dñs à nobis in euangelio requirit, superabundantiam iustitię nostrę, ex fide scilicet & dilectione, supra iustitiã scribarum & Pharisæorum, qui ex lege erant. Quòd ergò à Paulo de lege seruitutis dictū est, non esse positam iusto, hoc pater & magister vester Martinus Lutherus dux euangelicorum primus ad legē libertatis pertinere voluit: & quod de operibus secundum legem seruitutis ab Apostolo scriptū erat, ad opera secundum fidem & dilectionem retulit: ita vt doceret, non esse opera necessaria, neq; necessariam legem ad operandū, sed tantum ad ostendendum peccatum. Vndè hunc vos magistrū & ducem sequentes, traditis, omnes leges ecclesiasticas cum euangelica libertate pugnare, quas tamen necesse est nō magis pugnare, quàm decalogum, cum æquē illarum legum seu constitutionum opera, atque opera decalogi, ex fide & dilectione facere oporteat, si iustitia nostra plusquam scribarum & Pharisæorum abundare debeat: & vtraq; si negligantur, supplicio mortis, in altero seculo subeundæ, sancita sunt. immò illud etiam dicendum est, quò magis Lutheranos magistri & prophetæ sui pudeat, legem, quæ non iusto, sed iniusto, & non subditis posita est, cuiusmodi sit, si hoc feceris, aut illud non feceris, has, aut illas penas dabis, legem illam esse, quæ duos & obedire nolentes, terroribus & suppliciorum minis impellit: non autem, quæ ijs, qui rectè viuere volunt, quę facienda sunt, & quæ vitanda, declarat, & de eis admonet, ad eaq; inuitat & ducit, non solūm ex scriptura sancta, vt iam demonstratū est, intelligimus, sed ipsa etiam ratio naturalis hoc docet. Hinc enim Plato in libro de legibus IX. Turpe est (inquit) quodammodo, legibus sancire, quæcunque in huiusmodi ciuitate facturi sumus, cuius ciues bonos futuros dicimus, & ad studiū virtutis rectè se habituros. velle enim vt quis in tali ciuitate benè morata natus sit, qui ita nequitie aliorum turpissimorum particeps sit futurus, vt oporteat legibus & minis præcauere, si quis eiusmodi existat, turpe est quodammodo, vt dixit, sed quia non vt antiqui illi legislatores, qui ipsi ex dijs nati, filijs deorū leges scribebant, sed vt homines generi hominum nunc leges scribimus, non est inuidiosum metuere, nè quis cuius sit inflexibilis, qui ad eò durus natura existat, vt nō magis animus eius molliatur, quàm semina illa, quæ in cornu sata, ita durefcunt, vt nec igni molliantur: hi igitur legibus, quanuis ita validæ sint, non flectuntur quorum causa legem de sacrilegio, & si non gratè, primūm scribimus, si quis hoc cō-

mitte

mittere audeat. Deinde subiungit, alioqui ciuem benè educatū, non est, q̄
 velimus aut speremus, hoc morbo vllō vnquam tempore laboraturū. ve-
 rūm famuli istorum, aut peregrini, & peregrinorum ministri multa hui-
 usmodi aggredi queant. maximè ergo propter hos, tametsi vniuersę gene-
 ris humani infirmitati metuam, legem de sacrilegis dictabo & de alijs hur-
 usmodi, quæ ad curandum difficilia sunt, aut sanari non possunt. hæc Pla-
 to, quæ quæ vera sunt, nostra sunt, vt ait Iustinus in priore apologia. Platonē
 ergo non scriptura diuina, sed natura solūm docuit, legē scilicet timoris,
 quam nos legē seruitutis vocamus, iniustis scribi ad cogendum eos metu
 pœnæ, non autē ijs, qui naturaliter, sicut Apostolus ait, ea quæ legis sunt, fa-
 ciunt, qui sibi ipsi sunt lex, non scripta, sed nata, qui ostendunt (sicut idem
 Apostolus ait) opus legis scriptū in cordibus suis. at Luterū neq; scriptura
 docere hoc potuit, quia non legis libertatis patronus esse voluit, sed licen-
 tiæ, quæ facit, vt idem Plato lib. 3. de legibus ait, nē legibus subiecti esse ve-
 limus. Sed illud p̄terea non minū fatuū est, quod Philippus Melanchthon
 princeps discipulus Luteri, in visitatione Saxonica his verbis scripsit, cūm
 vellet esse corrector & moderator doctrinæ magistri sui, qui liberū arbi-
 triū prorsū tollebat. Volūtas humana vis est libera, vt facere possit iusti-
 tiam carnis, seu iustitiam ciuilem, vbi lege & vi cogitur, vt non furari, nō
 occidere. Deinde subiungit rationem. quia Paulus (inquit) docet esse quā-
 dam iustitię partem, quam caro coacta suis viribus faciat, Rom. c. 2. gentes
 natura faciunt, quæ legis sunt. Quid autem faciunt, nisi ciuilem iustitiam?
 Exigit autē Deus iustitiam hanc 1. Tim. c. 1. Lex est iniustis posita. Hęc ille.
 Qui si duos versus Pauli antecedentes contulisset & considerasset, quibus
 planè conuincitur nō intellexisse, quæ hęc scripsit, & de quibus affirmavit,
 nunq̄ ea scripsisset, neq; sic opinatus esset. Dixerat ergo Apostol. Non enim
 auditores legis iusti sunt apud Deū, sed factores legis iustificabuntur, scili-
 cet apud Deū. Hoc enim necessariō repetendū est ἀπὸ καρδίας. Deinde subiungit
 statim exemplū eorum, qui in lege naturæ sine vlla lege foris scripta iustè
 coram Deo viuentes, apud Deū iustificati sunt, qualis erat Iob. cūm enim,
 inquit, gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt,
 ipsi sibi sunt lex, qui ostendūt opus legis scriptum in cordibus suis. Docet
 itaq; hęc Paulus, quemadmodūm gentes in lege naturæ iustificari poterant
 apud Deū, facientes scilicet, quæ legis sunt, vt eis natura insitum erat. Deus
 enim ad hoc & excitabat, & adiuuabat, cūm nō resistebant. Philippus verò
 non intelligens quid diceret, & epistolę Pauli antecedētibus & consequen-
 tibus repugnans, sic ait, Paulus docet esse quandam iustitię partem, quam
 caro coacta suis viribus faciat. Rom. 2. gentes natura faciūt, quæ legis sunt.
 si enim de iustitia carnis hęc locutus est Paulus, quorsūm, cūm dixisset in
 Iudæos, qui de lege scripta gloriabantur, Non enim auditores legis iusti
 sunt apud Deū, sed factores legis iustificabuntur, statim subiecit ad demon-
 strandū exēplo quod dixerat de ijs, qui facientes legē, iustificātur apud Deū.

Quid boni Pla-
 tonem sola na-
 tura docuerit.

Rom. 2.

Melan-
 thon
 Luteri de li-
 bero arbitrio
 doctrinam
 quā inep-
 tē
 limitauerit,
 & correxerit.

Cùm enim gentes &c. Ex hoc ergò loco dogma peruersum Meláchthonis de libero arbitrio, ab ipsomet authore redarguitur. Etenim si ex loco isto prauè intellecto de iustitia carnis, quæ meretur laudem solùm apud homines, concluditur secundùm Philippum libertas voluntatis ad faciendam iustitiam carnis, ergò multo magis ex eodem loco necessariò intelligendo de iustitia spiritûs, quæ laudem habet apud Deum, concluditur secundùm Apostolum libertas voluntatis ad faciendam iustitiam spiritûs, ex qua homo iustificetur. Deindè quo magis intelligatur absurda Philippi repugnãtia, si illud quod Paulus ait 1. Timo. c. 1. Lex est iniustus posita, ad hoc quod Paulus dixit in epist. ad Rom. c. 2. de gentibus, quæ natura faciunt, quæ legis sunt, pertinet, vt Philippus affirmat, ergò iniustæ erant istæ gentes, de quibus Paul. ait, cùm enim gentes, quæ legem non habent, natura, quæ legis sunt, faciunt, &c. Præterea si iustitia ista carnis ad Deum relata, licet ex timore ac per vim facta, bona est, ergò nõ potest fieri solis viribus naturæ, vt Philipp. existimat: aut si dicit posse, iam se Pelagianum faciet, quòd si non vult Pelagianus esse, & concedat, opus esse gratia Dei ad faciendum iustitiam istam carnis, si ista gratia Dei, quæ ad naturam accedit adiutrix, nõ priuat voluntatem libertate, cur maior gratia, quæ accedit ad operandam iustitiam spiritûs, quæ laudè meretur apud Deum, libertate naturali priuet? quasi maior gratia, magis sit inimica naturæ. In has difficultates & absurditates ac repugnantias se coniecit Philipp. quia existimauit, cùm Paulus dixit, natura quæ legis sunt, faciunt, solùm vires naturales dicere, idcirco postquam citauit Paulum dicentem, Natura quæ legis sunt, faciunt, subiungit ipse: Quid autem faciunt, nisi iustitiam ciuilem? quasi iustitia ciuilis, quæ ad Deum referatur, viribus tantùm naturæ fieri possit. Quanto meliùs Philon Iudæus, & si Paulum fortassè non legit, intellexit, quam iustitiam, & quomodo natura illam facerent gentes illæ, quæ rectè viuebant, quas Paulus dicit apud Deum iustificari, quãto, inquam, meliùs, quàm Melanchthon, qui Paulum legit? sic enim Philon ait in extrema parte libri de præmijs: αὐταί μὲν αἱ ὑπὲρ τῶν ἀνθρώπων τῶν ἀγαθῶν εἰσὶν εὐχαὶ καὶ τοὺς νόμους ἔργασιν ἐπιτελούντων χάριτι τοῦ θεοῦ τὰ κατὰ διὰ τὴν πρὸς αὐτὸν ὁμοιότητα σεμνοποιούντος καὶ γεραίροντος, id est, Hæ sunt preces pro bonis hominibus, qui quæ legis sunt, faciunt gratia Dei, qui ea, quæ honesta sunt, propter similitudinem, quam cum ipso habent, honore & præmio afficit. Hæc ergò sunt opera, quæ ait scriptura perficienda esse gratia Dei. Sed de his hactenus. faxit Deus, vt si qui ex discipulis istorum hæc legerint, intelligãt tandem, in quanto errore de libero arbitrio magistri sui versentur. Atq; hactenus de humanis constitutionibus in vniuersum. Exempla verò traditionum humanarum, quibus ponuntur, vt isti aiunt, laquei conscientijs, & opinio cultûs & meriti affingitur, posuerunt præceptum de confessione auriculari, t. Clemen. & de reliquijs fragmentorum post cœnam, de vasis sacris, de palla & alijs, vbi (inquunt) pœna anathematis etiam à Petro statuta

tuta dicitur, Clemen. 2. respondeamus ergò de his priùs, postea de alijs.
*Defensio doctrinæ beati Petri in epist. Clemen. de confessione auriculari,
 & collatio eius doctrinæ, cum epistola 2. eiusdem beati Petri, & cum loco
 Salomonis in Prouerbij, & cum epistola prima beati Ioannis, & explanatio
 horum locorum, & quòd confiteri in genere se peccatorem, non facit erube-
 scere, & quomodo beatus Ioannes in epistola sua omninò loquatur de confes-
 sione peccatorum in specie, & quomodo hæc non sit impossibilis neque ardua.*

Cap. 17.

AC primùm quidem de confessione auriculari, de qua non differam
 prolixè, quòd lib. 3. de dogmaticis characteribus verbi Dei ià feci,
 videamus, quã vim habeat, & quid in nobis efficiat, vt intelligamus
 nõ iniici per eam cõscientijs laqueos, sed cõsciẽtias potiùs laqueis solui, ne-
 que Christianã libertatẽ deprauari, sed feruitutẽ peccati tolli. Elegãtissima
 igitur similitudine expressit beatus Petrus in doctrina sua, quam Clemens
 recitat in hac epistola, quã vtilitatẽ confessio adferat peccatori. cùm enim
 dixisset, similitẽ esse omnem statum ecclesiæ magnæ nauis, quæ per vndo sum
 pelagus diuersis è locis ac regionibus viros portat ad vnam potentis regni
 vrbem propere cupiẽtes, descripsissetq; quis nauarchus, quis nauclerus,
 qui nauar, qui vectores, quæ tempestates maris, quæ syrtes, quæ promon-
 toria, qui scopuli, qui piratæ, qui fluctus, qui venti: ad extremum dixit, qui
 essent, qui in nauis nauẽsantes vomerent, eos videlicet qui peccata instabi-
 lis noxiæ confiterentur. ἀπερώντες, inquit, τῆστιν ἐξομολογούμενοι τὰ παρα-
 πτώματα ὡς περ νοσοποιοῦσ χολὰς τὰς ἐκ πικρίας ἀμαρτίας λέγω, καὶ τὰς ἐξ
 ἐπιθυμιῶν ἀτάκτων, σωρευθέντα κακὰ ἄτινα τῷ ὁμολογῆσαι ὡς περ ἀπεράταντες
 κουφίσειθε τῆς νόσου. προβέμενοι τὴν ἐκ τῆς ἐπιμελείας σωτήριον ἡγίαν. Interprete
 mur Latinè: Vomentes, (inquit) id est, confitentes lapsus, qui sunt tanquàm
 bilis quædam, quæ morbũ adfert, peccata dico amara, & mala ex cupidita-
 tibus immoderatis collecta, quæ cùm confitendo vomueritis, alleuabitur
 ægritudo, accedente insupèr bona valetudine ex studio atq; cura. Confes-
 sione igitur cõsciẽtia, onere peccatorũ depressã, alleuatur, vt corpus vomiti-
 one. Sed quia hanc doctrinã beati Petri negatis, conferamus hũc locum
 cũ epistola beati Petri secunda, cùm ait de iã baptizatis: Si enim paululũ, id
 est, ad breue tẽpus, refugiẽtes coinquinationes mũdi in cognitione Domi-
 ni nostri & saluatoris Iesu Christi, his rursũs intplicati superãtur, facta sunt
 eis posteriora peiora prioribus. Melius enim erat illis, non cognoscere
 viã veritatis, quã postquã cognouerũt, retrorsũm cõuerti ab eo, quod illis
 traditũ est, sancto mandato. Deindẽ subiũgit: Contingit enim eis illud veri
 prouerbij: Canis reuersus ad vomitum. ἐξίρασμῃ vocauit beatus Petrus in
 epist. sua vomitũ, à verbo ἔρω, cum ἐξ præpositione, quo etiã verbo cũ ὑπὸ
 præpositione vsus est Clemes, recitans doctrinã Petri. Respõdete ergò mihi

Ppp 3

Magdeb.

Confessionem
 peccatorum
 secretam, cum
 vomitione cõ-
 parauit Pet-
 rus, & apud
 Clementem.
 & in sua episto-
 la.

2. Pet. 2.